



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus II. vtrum hæc sit falsa, Christus secundum quod homo, est
pr[a]edestinatus, esse filus Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Ad Rom. 1. Roman. dicit hanc esse literam Apost. Qui predestinatus est filius Dei in virtute, ita quod non designetur aliqua antecessio: & sic nihil habet difficultatis. Alij vero antecessi-
nem, qua designatur in hoc participio, predestinatus, re-
ferunt, non ad id quod est esse filium Dei, sed ad eius ma-
nifestationem: secundum illum consuetum modum loquendi
in Scripturis, quodres dicuntur fieri, quando innotescant, ut
sit sensus, quod Christus predestinatus est manifestari Filius
Dei. Sed sic non proprie predestinatio accipitur: nam aliquis
dicitur proprie predestinari secundum quod dirigitur in fi-
nem beatitudinis: beatitudo autem Christi non dependet ex
nostra cognitione. Et ideo melius dicendum est, quod illa ante-
cessio, quam importat hoc participium predestinatus, non re-
fertur ad personam secundum se ipsam, sed ratione humane
nature: quia scilicet persona illa, etsi ab eterno fuerit Filius
Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in natura hu-
mana fuerit Filius Dei. Vnde Augustinus dicit in libro de pre-
destinatione Sanctorum. Predestinatus est Iesus, ut qui fu-
turus erat secundum carnem filius David, esset amen in virtu-
te Filii Dei. Et est considerandum, quod licet hoc participium
predestinatus, importet antecessiorem, sicut & hoc partici-
pium factus: aliter tamen & aliter. Nam si pertinet ad ipsam
rem, secundum quod in se est: predestinari autem pertinet ad
aliquem, secundum quod est in apprehensione alicuius prae-
ordinantis. Id autem quod subest alicui forme & nature secun-
dum rem, potest apprehendi, vel prout est sub forma illa, vel e-
tiam absolute. Et quia absolute non convenit persone Christi,
quod incepit esse Filius Dei, convenit autem ei, secundum
quod intelligitur vel apprehenditur ut in natura humana ex-
sistens (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura
humana existens esset Filius Dei) ideo magis est hac vera, Chri-
stus est predestinatus Filius Dei, quam ista, Christus est factus
Filius Dei.

COMMENTARIUS.

Circa titulum, & ad intelligenda omnia quae dis-
putanda sunt observare oportet, dupliciter ali-
quem posse dici predestinatum. Primum præcise non
explicando terminum, ad quem predestinatus est.
Secundo addendo, & explicando illum terminum,
ut si dicas, Christum esse predestinatum, vel esse
predestinatum ut sit Filius Dei naturalis. Vnde tria
in hac locutione considerari possunt. Primum est,
actus Dei predestinantis. Secundum est res quae præ-
destinata dicitur, quae solet esse obiectum prædesti-
nationis, & res ad quam predestinatur, quae termi-
nus prædestinationis appellatur: & actus quidem
prædestinationis supponit cognitionem obiecti, &
termini prædestinationis, quatenus possibilia sunt;
præcedit autem ea, quatenus futura sunt, quia per ip-
sum actum prædestinationis ad existendum ordi-
nantur. Inter obiectum etiam & terminum (si distin-
cta sint) quidam ordo reperitur, nam obiectum sup-
ponitur termino per modum subiecti, ordinatur
autem ad terminum tanquam ad finem, & tanquam
ad suam perfectionem, aut alio simili modo. In hoc
ergo titulo præsentis articuli, D. Thom. priori mo-
do quæstionem ponit de prædestinatione Chri-
sti præcise, non explicato termino eius. Et eodem
modo illam definit, quamquam obicit in solutione
ad secundum & tertium, non nihil de termino at-
tingat. Et ex his satis intelligi potest litera totius ar-
ticuli, quæ per se clara est. Dere autem ipsa statim
latius disputandum erit.

ARTICULVS II.

*Virum hac sit falsa, Christus secundum quod homo,
est predestinatus esse Filius Dei.*

Ad secundum sic proceditur videtur quod hac sit
falsa, Christus, secundum quod homo, est præ-
destinatus esse Filius Dei. *Er. Suarez. Tom. 1.*

Adestinatus esse Filius Dei. Hoc enim est unusquisque secun-
dum aliquod tempus, quod est predestinatus esse, eo quod præ-
destinatio Dei non fallitur. Si ergo Christus, secundum quod
homo, est predestinatus esse Filius Dei, videtur sequi quod sit
Filius Dei secundum quod homo. Hoc autem est falsum: ergo
& primum.

2. Præterea illud quod convenit Christo secundum quod
homo, convenit cuilibet homini, eo quod ipse est unus spe-
ciei cum alijs hominibus. Si ergo Christus, secundum quod
homo, predestinatus esse Filius Dei, sequeretur, quod cui-
libet homini hoc conveniat. Hoc autem est falsum, ergo &
primum.

3. Præterea, Hoc ab eterno predestinatur, quod est ali-
quando sciendum in tempore. Sed magis hac est vera, Fili-
us Dei factus est homo, quam ista: Homo factus est Filius Dei:
ut supra habitum est. * Ergo magis hac est vera, Christus
secundum quod est Filius Dei, predestinatus est esse homo,
quam & converso, Christus, secundum quod est homo, est præ-
destinatus esse Filius Dei.

Sed contra est, quod August. dicit in libr. de prædestinat.
Sanct. ipsum Dominum glorie, in quantum homo factus est
Dei Filius, prædestinatum esse dicimus.

b Respondeo dicendum, quod in prædestinatione duo
posunt considerari. Vnum quidem ex parte ipsius præ-
destinationis æternæ, & secundum hoc importat antecessio-
nem quandam respectu eius quod sub prædestinatione cadit.
Alio modo potest considerari secundum effectum temporalem:
qui quidem est aliquod gratuitum Dei donum. Dicendum
est ergo, quod secundum utrumque istorum attribuitur præ-
destinatio Christo, ratione solius humane nature. Nam
humana natura non semper fuit Verbo unita: & etiam
hoc per gratiam est collatum, ut Filio Dei in persona unire-
tur. Et ideo solum ratione humane nature prædestinatio
competit Christo: vnde August. dicit in libr. de præd. Sanct.
prædestinata est ista humana natura tanta & tam celsa, &
summa subiectio, ut quo attolleretur altius, non haberet.
Hoc autem dicimus convenire alicui, secundum quod homo,
quod ei convenit ratione humane nature. Et ideo dicendum
est, quod Christus secundum quod homo, est predestinatus esse
Filius Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, Christus
secundum quod homo, est predestinatus esse Filius Dei, hac
determinatio, secundum quod homo, potest referri ad actum
significatum per participium dupliciter. Vno modo ex par-
te eius quod materialiter cadit sub prædestinatione: & hoc
modo est falsa. Est enim sensus, quod predestinatum sit, ut
Christus secundum quod homo, sit Filius Dei: & in hoc sen-
su procedit obiectio. Alio modo potest referri ad ipsam pro-
priam rationem actus: prout scilicet prædestinatio impor-
tat in sui ratione antecessiorem, & effectum gratuitum.
Et hoc modo convenit Christo ratione humane nature: ut
dictum est. * Et secundum hoc dicitur predestinatus, se-
cundum quod homo.

Ad secundum dicendum, quod aliquis potest conveni-
re alicui homini ratione humane nature dupliciter. Vno
modo sic, quod humana natura sit causa illius sicut esse ri-
sibile convenit Sorti ratione humane nature, ex cuius
principij causatur. Et hoc modo prædestinari non conve-
nit nec Christo nec alteri homini ratione humane nature, &
in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo dicitur convenire
aliquid alicui ratione humane nature, cuius humana na-
tura est susceptiva, & sic dicimus Christum esse prædes-
tinatum ratione humane nature: quia prædestinatio refer-
tur ad exaltationem humane nature in ipso, ut dictum
est.

Ad tertium dicendum, quod sicut August. dicit in libro
de prædest. * Sanct. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a
Deo Verbo susceptio singularis: ut Filius Dei & hominis
simul, & filius hominis propter susceptum hominem, &
Filius

Filius Dei propter suscipiendam vnguentum Deum veraciter & proprie diceretur. Et ideo quia illa susceptio sub praedestinatione cadit, tanquam gratuita, vtrumque potest dici, scilicet, quod & Filius Dei praedestinatus sit esse homo, & filius hominis praedestinatus sit esse Filius Dei. Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, ut esset homo, sed potius humana natura, ut Filio Dei vniatur: magis proprie potest dici, quod Christus secundum quod homo, est praedestinatus esse Filius Dei, quam quod Christus secundum quod Filius Dei, sit praedestinatus esse homo.

COMMENTARIUS.

Inquit hic D. Thomas terminum huius praedestinationis, & quaestionem intelligit de Filio Dei naturali propriissime, & personaliter, eo modo, quo hic homo Christus est Filius Dei naturalis per aeternam generationem: ita ut sensus sit, an Christus in quantum homo sit praedestinatus fore ipsum Verbum Dei, quem sensum satis explicuit D. Tho. in argumento primo cum solutione.

Respondet autem in corpore, illam locutionem non esse falsam, sed veram, Christum in quantum homo est praedestinatus esse Filius Dei, quia hoc convenit illi ratione humanae naturae, cui in tempore gratia unionis facta est, quae ab aeterno fuerat praedestinata, & per eam effectum est, ut hic homo esset Filius Dei naturalis. Non explicat autem D. Tho. an haec locutio tantum sit vera cum illo addito, in quantum homo, vel an etiam simpliciter dici possit, Christus est praedestinatus esse Filius Dei: indicat tamen, solum cum illo addito veram esse propositionem illam, dum inquit, solum ratione humanae naturae, praedestinationem competere Christo. Sed hoc statim latius disputandum est. Vbi etiam explicabuntur solutiones ad 1. & 3. Solutio vero ad secundum facilis est.

ARTICVLVS III.

Vtrum praedestinatio Christi sit nostra praedestinationis exemplar.

222.
3 d 10 g.
3 art 3
Ro 1. lib. 3
col. 2 fin

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod praedestinatio Christi non sit exemplar nostra praedestinationis: exemplar enim praexistit exemplato: Nihil autem praexistit aeterno. Cum igitur praedestinatio nostra sit aeterna, videtur quod praedestinatio Christi non sit exemplar nostra praedestinationis.

2. Praeterea, Exemplar ducit in cognitionem exemplati. Sed non oportuit, quod Deus diceretur in cognitionem nostra praedestinationis ex aliquo alio, cum dicatur Rom. 8. Quos praesciuit, hos praedestinavit. Ergo praedestinatio Christi non est exemplar nostra praedestinationis.

3. Praeterea, Exemplar est conforme exemplato. Sed alterius rationis videtur esse praedestinatio Christi, quam praedestinatio nostra: quia nos praedestinamur in filios adoptionis: Christus autem est praedestinatus Filius Dei in virtute, ut dicitur Roman. 1. Ergo eius praedestinatio non est exemplar nostra praedestinationis.

Cap 15 in
prin 10, 7.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de pred. Sanct. * Est praeclarissimum lumen praedestinationis & gratiae ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominem, homo Christus Iesus. Dicitur autem lumen praedestinationis & gratiae, in quantum per eius praedestinationem & gratiam manifestatur nostra praedestinatio: quod videtur ad rationem exemplar & pertinere. Ergo praedestinatio Christi est exemplar nostra praedestinationis.

a Respondeo dicendum, quod praedestinatio dupliciter potest considerari. Vno modo secundum ipsum actum praedestinantis: & sic praedestinatio Christi non potest dici

Exemplar nostra praedestinationis: vno enim modo & eodem actu aeterno praedestinavit Deus nos & Christum. Alio modo potest praedestinatio considerari secundum illud, ad quod aliquis praedestinatur: quod est praedestinationis terminus & effectus. Et secundum hoc praedestinatio Christi est exemplar nostra praedestinationis, & deo dupliciter. Primo quidem quantum ad bonum ad quod praedestinamur. Ipse enim est praedestinatus ad bonum, quod est Filius naturalis: nos autem praedestinamur ad filiationem adoptionis, quae est quaedam participata similitudo filiationis naturalis. Vnde dicitur Roman. 8. Quos praesciuit & praedestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Alio modo quantum ad modum consequendi istud bonum, quod est per gratiam, quod quidem in Christo est manifestissimum: quia natura humana in Christo nullis suis praecedentibus meritis est unita Filio Dei. Et de plenitudine gratiae eius nos omnes accipimus: ut dicitur Ioan. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod illa ratio procedit ex parte illius actus praedestinantis. Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod non est necessarium, quod exemplatum exemplari quantum ad omnia conformetur, sed sufficit quod exemplatum aliquantulum imitetur suum exemplar.

COMMENTARIUS.

Affirmat Divus Thom. cum August. lib. de praedest. c. 15. & de bono perseverantiae, cap. vlt. cui consentiunt ceteri Theologi in 3. dist. 10. vbi Albert. Dond. dub. vlt. Durand. quest. 2. Palud. quest. 3. Bonavent. dist. 11. art. 1. quest. 1. & Alenf. 3. par. qu. 3. memb. 5. & in su. Bonavent. perioribus satis declarata est haec D. Tho. conclusio, dist. 5. sectio. 2. Neque hoc loco oportet plura addere, quia res est facilis.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum praedestinatio Christi sit causa nostra praedestinationis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod praedestinatio Christi non sit causa nostra praedestinationis: aeternum enim non habet causam. Sed praedestinatio nostra est aeterna. Ergo praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis.

2. Praeterea, illud quod dependet ex simplici Dei voluntate, non habet aliam causam nisi Dei voluntatem. Sed praedestinatio nostra ex simplici voluntate Dei dependet. Dicitur enim Ephes. 1. praedestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suae. Ergo praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis.

3. Praeterea, Remota causa, remouetur effectus. Sed remota praedestinatione Christi, non remouetur nostra praedestinatio: quia etiam si Filius Dei non incarnaretur, erat alius modus possibilis nostrae salutis, ut August. dicit in lib. de Trinitate. Praedestinatio ergo Christi non est causa nostra praedestinationis.

Sed contra est, quod dicitur Ephes. 1. Praedestinasti nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.

a Respondeo dicendum, quod si consideretur praedestinatio secundum ipsum praedestinationis actum, praedestinatio Christi non est causa nostra praedestinationis: cum vno & eodem actu Deus praedestinaverit ipsum & nos. Si autem consideretur praedestinatio secundum terminum praedestinationis, sic praedestinatio Christi est causa nostra praedestinationis. Sic enim Deus praedestinavit nostram salutem ab aeterno praedestinando, ut per Iesum Christum compleretur.